

Consuetudo tamen efficere potest, quod quotidianæ distributiones debeantur absentibus in casibus, de quibus in jure dubium est, an illæ absentibus debeantur necne. Tunc enim consuetudo easdem concedens, valida censetur, jurisque ambiguitatem interpretari et declarare potest : quia in talibus casibus nihil novum aut juri aperte contrarium inducitur, sed solummodo casus in jure dubii longævo usu declarantur (1).

§ 9. *Casus in quibus absentes distributiones non percipiunt.*

1. Juxta sanctiones juris canonici et laudabilem S. C. C. stylum nullus a choro absens ratione muneris sibi commissi, quotidianas distributiones lucratur, ubi pro dicto munere aliquod percipit stipendium (2).

2. Vicarius capitularis, ut dictum est cap. XXIII, § 1, n. III, distributiones non acquirit (3), nisi legitima adsit consuetudo, etsi plures censeant, ipsum easdem percipere posse.

3. Vicarius generalis Episcopi distributiones non assequitur (4). Similiter provicarii generales, cancellarii, secretarii, actuarii, aliaque exercentes munera in curia Episcopali, distributiones non lucrantur (5).

4. Illas non lucrantur canonici, mensæ Episcopalis administrationi vacantes, neque Episcopo assistentes in pertractandis negotiis diocesis, neque ipsum comitantes in diocesis visitatione (6).

5. Duo canonici in servitio Episcopi existentes, licet lucrentur fructus canonicatus, non tamen distributiones quotidianas, ut dictum est cap. XIV, § 1, n. VII (7), nisi ex speciali indulto (8).

(1) Reiffenstuel loco cit. n. 177; Barbosa de canonicis, cap. XXIII, n. 18.

(2) S. C. C. *Raven.* 1 Aug. 1739, § 5, apud Zamboni tom. 4, *beneficiati*, § IV; Moneta, p. 2, q. XI, n. 35.

(3) Moneta, p. 2, q. XI, n. 83.

(4) S. C. C. 17 Dec. 1627 in causa *Bitteti*, lib. 13 decr. p. 267; 9 Maji 1671, in causa *Tanat.* lib. 27 decr. p. 113, apud Bened. XIV, Inst. 107, § X.

(5) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* ad IX, Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. III, fol. 196, n. 17 et 18, fol. 198, IX.

(6) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* IV et X; 19 Maji 1877. Vid. Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 3, n. XX; Acta S. Sedis, vol. X, fol. 240-245.

(7) S. C. C. 4 Junii 1633 *Fesulana*; 13 Januarii 1635, *Aventon.*; 30 Julii 1763, *Venusina* dub. 1 et 2; apud Zamboni *Canonici*, § III, n. 50, 51, 229, 230; Scarfantonus lib. 2, tit. XI, n. 13; Barbosa de canonicis, cap. XXV, n. 5 et 6.

(8) S. C. C. 27 Ap. 1720, *Leodien.* apud Zamboni loco cit. n. 161.

6. Canonici examinatores synodales non lucrantur distributiones quotidianas, quia examen ad libitum fieri potest hora commoda extra tempus, quo in choro assistere tenentur (1).

7. Seminarii rector, administrator, professores et examinatores, a choro absentes, distributiones non lucrantur (2).

8. Vicarii foranei et visitatores distributiones non participant (3).

9. Docentes in scholis publicis scripturam sacram, theologiam, jus canonicum, philosophiam aut grammaticam, sicut etiam addiscentes et studentes, licet fructus lucrentur, distributiones tamen amittunt, ut dictum est cap. XXVIII, § 10, n. IX ad 4 et 5.

10. Peregrinantes seu devotionis causa visitantes ecclesiam Lauretanam aliaque pia hujusmodi loca non possunt lucrari quotidianas distributiones, dum in tali sunt peregrinatione (4).

11. Amittunt distributiones canonici vacantes prædicationis ministerio, non ex cura animarum aut obligatione præbendæ seu canonicatui annexa, sed ob voluntarium aliquod munus aut speciale officium ab ipsis susceptum (5).

12. Missam celebrantes infra officium, distributionibus privantur, nisi adsit jussio vel licentia præfecti chori seu superioris, et simul necessitas sive populi commoditas occurrat (6). In decreto autem S. C. C. 1573 infra citato, Sanctitas insuper superiores admoneri voluit, ut ab hujusmodi jussu abstineant : quod tamen juxta S. Carolum intelligendum est, nisi necessitas aliquando incideret (7).

13. Canonicus qui detinetur in facienda propriorum peccatorum confessione, præsens non censetur ad acquirendas distributiones (8).

(1) Ita S. R. C. 17 Mart. 1607, *Lamacen.* 2; S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* VII apud Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 3, n. XX, fol. 195, n. 13, et fol. 198 ad VII; 19 Maji 1877, in Actis S. Sedis, vol. X, fol. 243-245; Bened. XIV, Inst. 107, § X.

(2) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* VIII apud Lucidi loco cit. fol. 195, n. 14, 15, 16.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. XI, n. 16.

(4) S. C. C. 1573 in *Tudertina* dub. 4; Benedictus XIV, Inst. 107, § X; Garcias de benef. p. 3, c. 2, n. 392-395.

(5) S. C. C. 20 Dec. 1862, *Tranen.* VI, apud Lucidi loco cit. fol. 194, n. 12, et fol. 198 ad VI.

(6) S. C. C. 1573, lib. 1, Decr. p. 51, apud Bened. XIV, Inst. 107, § X; 20 Dec. 1862, *Tranen.* II, apud Lucidi loco cit. fol. 189, n. 4, et 198; 1 Ap. 1876 ad 1, in Actis S. Sedis, vol. IX, fol. 382-387; Zamboni *Canonici*, § III, n. 1, 33, 42, 49, 86; Pallottini *Canonici*, § VII, n. 210-249.

(7) Apud Bened. XIV, Inst. loco cit.

(8) Scarfantonus lib. 2, tit. X, n. 24-28.

14. Quod si capitulum habeatur tempore, quo officia divina celebrantur, canonici ad illud convenientes, nequaquam lucrantur distributiones quotidianas pro illis horis, quibus non interfuerunt (1).

15. Canonici occupati in curandis aut custodiendis infirmis, sive in sedando tumultu, vel componendis gravibus inimicitiis, aut in alio negotio non levis ponderis, licet eximantur ab onere horas canonicas privatim recitandi, si ad id non supersit tempus, non habentur tamen pro præsensibus quoad lucrificandas distributiones, quia non absunt ob suam corporalem necessitatem (2).

16. Canonicus fabricæ administrationi deputatus, cum ecclesiæ inservire teneatur, sicut omnes alii canonici, si id facere contemnat, mulctandus est in amissione distributionum, sicut alii non servientes (3).

§ 10. *Distributiones amissæ et punctaturæ solvendæ, quibus tribuendæ.*

Prænotandum est, in applicatione et divisione distributionum amissarum et punctaturarum solvendarum easdem servandas esse regulas, ut dictum supra § 5, n. IV.

I. Distributiones amissæ et punctaturæ solutæ deponi nequeunt in massa seu cumulo communi, ut in fine anni vel certis anni temporibus æqualiter distribuantur inter omnes canonicos, sive diligentes sive negligentis, sive præsentes fuerint sive absentes (4) : ita ut S. C. Congregatio in decretis citatis respondere censuerit, consuetudinem, faciendi cumulum ex fallentiis infra annum, eumque certis anni temporibus, diligentes inter atque negligentis, nulla negligentis habita ratione, dividendi, non esse tolerandam, et distributiones ac punctaturas dividendas esse inter actu præsentes tantum ad tramites juris.

II. Distributiones absentium aliis actu præsensibus regulariter

(1) S. C. C. in causa *Oriolen.* et in causa *Turritana*, 2 Julii 1633, lib. 14 decr. fol. 599 et 751, apud Bened. XIV, Inst. 107, § X.

(2) Scarfantonus lib. 2, tit. IX, n. 33 et 34.

(3) S. R. C. 23 Nov. 1602, *Egitanien.* 6.

(4) S. C. C. 5 Junii 1706 in *Asculana* dub. V; 2 Junii 1731, in *Carpencoraten*; 22 Dec. 1860 in *Æstina*; 22 Feb. 1862 *Romana*; 8 Aug. 1863 *Januen*; 28 Julii 1866; Acta S. Sedis, vol. 2, fol. 218-221; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 2, fol. 264, n. 40.

accrescunt, atque inter eos dividendæ sunt (1); quia ex juris dispositione accrescere debent tantummodo intervenientibus, qui ob aliorum absentiam, majorem in choro subeunt laborem (2), easque merentur tanquam in mercedem et honorarium majoris diligentis: nisi dignitas aut canonicus redditus habeat distinctos et separatos a communi massa, in quo casu fabricæ ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicandæ sunt (3).

Concilium Tridentinum sess. XXI, cap. III de reform. statuit, ut distributiones quotidianæ inter dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes dividantur, et sess. XXII, cap. III de reform. ut fabricæ ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicentur. Ejusmodi sanctiones sibi invicem adversari videntur, et occasionem dederunt plura dicendi et scribendi, ut apparens horum textuum oppositio tolleretur: sed omnis repugnantis species tollitur, ut scribit Benedictus XIV (4), si discrimen statuatur inter dignitates, quæ proventus suos ex mensa capitulari percipiunt, et inter dignitates, quæ secretos ab eadem mensa proventus obtinent. Itaque juxta Concilium distributiones primarum dignitatum inter præsentes dividendæ sunt; distributiones autem aliarum dignitatum fabricæ ecclesiæ sive alteri loco pio conferendæ (5).

Quod autem Concilium sess. XXII, cap. III de reform. statuit, distributiones in hoc casu applicandas esse fabricæ ecclesiæ, quatenus indiget, aut alteri loco pio, arbitrio Ordinarii, non significat, in facultate Ordinarii esse, stante etiam indigentia ecclesiæ, illas alteri pio loco pro ejus arbitrio applicare; sed Sacra C. Congregatio (6) respondit: *has distributiones esse primo applicandas fabricæ cathedralis ecclesiæ, quatenus indigeat, et si non indigeat, tum demum esse in facultate Episcopi illas alteri pio loco suo arbitrio applicare* (7). Tunc etiam deligere potest locum, cui applicentur.

(1) S. C. C. 28 Julii 1866; Acta S. Sedis vol. 2, fol. 218-221; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 182.

(2) S. C. C. 28 Ap. 1770, *Reat.* § 8, apud Zamboni tom. 4, *Capitulum* § V.

(3) Bened. XIV, Inst. 107, § VII; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de cleric. non resid. c. *Quia nonnulli*, n. 16 et 17; Schmitz lib. III, tit. IV, q. IV, R. 2; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 263, n. 37.

(4) Inst. 107, § VII.

(5) Acta S. Sedis vol. 2, fol. 219, not. *dixi*; Pallottini *Distributiones*, n. 221-228.

(6) 7 Nov. 1621 in *Caurinen.* lib. 12 decr. fol. 81 a tergo.

(7) Acta S. Sedis vol. 2, fol. 220, not. ubi plura alia decreta citantur; Fagnanus in 1, p. III Decretal. de cler. non resid. c. *Qualiter*, n. 36.

III. Infirmi et alii absentes ex causis expressis in cap. *Consuetudinem* de cler. non resid. in VI, qui alias inservire consueverunt, percipere etiam debent portionem accrescentem, ex distributionibus sive punctaturis non inservientium provenientiem, perinde ac si personaliter divinis interessent (1). Ex aliis autem causis absentes, v. g. ex indulto Apostolico, hoc augmentum percipere nequeunt, nisi hæc gratia expresse indulta fuerit, ut dictum est § 8, n. V.

IV. Notandum est, si omnes redditus in distributionibus quotidianis consistant, legitime absentes, jure vero percipiendi distributiones carentes, lucrari duas ex tribus partibus omnium distributionum, amissa tertia earum parte quæ inservientibus accrescit (2).

(1) Ita S. C. C. 26 Aug. 1628, *Viterbien.* apud Zamboni *Canonici*, § III, n. 43, item ibidem n. 65; 3 Dec. 1729, *Rom.* tom. 4, *Canonici*, § III; item alia in Actis S. Sedis vol. VII, fol. 198, vol. XIII, fol. 107, et apud Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. I, fol. 274, n. 54.

(2) S. C. C. 19 Ap. 1614, *Civitatis Castellane*; 10 Maji 1698, *Tranen.*; 20 Dec. 1738 dub. 1, *Nullius Farfen.* apud Zamboni *Canonici*, § III, n. 27, 90 et 199.

PARS QUINTA.

DE STATUTIS ET CONVENTIBUS CAPITULARIBUS.

CAPUT XXXI.

DE STATUTIS CAPITULARIBUS.

§ 1. *Statutorum definitio et necessitas.*

I. Statuta sunt regulæ et ordinationes, quibus præscribuntur omnia quæ pertinent ad capitulum, videlicet ejus regimen, gubernium et directio, divinatorum officiorum celebratio, cæremoniæ ac ritus in ecclesia ejusque choro servandi, atque alia quælibet munia per dignitates et canonicos obeunda.

II. Capitulum cathedrale sua statuta seu constitutiones habere debet. Quapropter in relatione status diocesium § III, n. IX exponendum est, an canonici suas habeant constitutiones, et eas punctualiter observent. Statuit Benedictus XIII in Concilio Romano 1725, tit. II, cap. IV : « Ecclesiarum capitulis, tam Patriar-
» chalum, et Cathedralium, quam Collegiatarum omnium, et
» Conventualium, quæ quidem velut corpora, membris compacta,
» suis legibus vivere, suisque regulis nutriri, et conservari oportet,
» definite præcipimus ac mandamus, ut antiqua, si qua habent
» statuta, et capitulares constitutiones depromant; et ubi non
» adsint, sex infra saltem menses, post præsentis Concilii publi-
» cationem, sub ecclesiastici interdicti pœna, omnino conficiant. »
Quamvis autem sanctiones Romanæ prædictæ synodi vim obligandi non exerant extra Campanam et Pisanam provinciam, nihilominus quæ quarto et quinto capite tituli secundi disposita sunt, ad omnia